


HÆC sunt Medicamenta, tam simplicia quam composita, quæ ob publicum, vsum in Officinis nostris Pharmaceuticis communiter prostare, ac debent. Ea omnia ac singula, vt legitima, sincera, haudquam obsoleta, minimè vero fucata, debito modo ac tempore vel colligantur, vel comparentur, commodè itidem reponantur, ritè asseruentur ac custodiantur, & nullo vel mangonio deprauata, vel situ ac teredine corrupta, aut temporis diuturnitate euanida effecta, sed integra ac suis viribus constantia diuendantur Pharmacopœos de iure hortamur, eosque ad Dispensatorii huius Prolegomena attentè legenda, diligentèr pensitanda, ac sedulò obseruanda remittimus.

Sunt quidem & alia multa, quæ in decorem simul ac vsum nostrarum Officinarum, Medicarum & cedunt. & cedere possunt, qualia Clarissimorum Virorum indefinens studium, indefessus labor, ac quotidiana experientia, indies nouâ ac speciosâ rerum facie profert. Nam & simplicia complura antehac incognita iam modo ex naturæ adytis prius non obseruata in lucem emergunt, maximè vero transmarina & exotica nostris antea nationibus incognita. Nos verò de iis solum lectorem

ctorem hoc libro monuimus, quæ iam pridem
perspecta, ac sæculorum sibi mutuo succe-
dentium serie comprobata fuisse cognouimus,
quibusque nostra iam Praxis à multis annis as-
suevit, cuius fructum candido Lectori ob pu-
blicam vtilitatem communicandum quoque
censuimus, qui tametsi labores hos nostros
non vndequaque probauerit, eosdem tamen à
benè de Rep. Christianâ merendi studio
profectos esse, vt speramus,
agnoscat.



IN